



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Propositio XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Deo, sed non credunt in Deum, quia fiducia in Deum ca-
rent, qua se consolentur contra iram Dei. Quid multa? In-
signis malitia Monachi ac magistri eius, Fabri, & similium
cogit, oia cauere, quae possunt quoquo modo in calumniam
rapi.

PROPOSITIO XVII.

Qui credit in Deum, non credit saluari suis operibus,
seu uirtutibus, ac discredet omnibus creaturis.

CENSURA.

Si credis in Deum, non discredis operibus & habitibus,
Sed est, uirtutibus.

CONDEM. CENSURAE.

Hic mire se torquet Sophista meus, & nititur probare
ne fidem quidem ipsam iustificare, quando & ipsa ha-
bitus sit, sed paucis dicam. Fides quatenus habitus est, uel
qualitas in nobis, eatenus non iustificat. Iustificat autem quia
apprehendit obiectum extra nos, id est, Christi merita &
Dei misericordiam. Opera non iustificant. Fides est opus, er-
go me fides iustificat. Respondeo, fides est opus, Ioan. 6.
sed Dei opus, qui eam operatur in nobis. 1. Thes. 2. Qui
operatur in uobis, qui credidistis. Dicit Frater: si non cre-
dis opera & uirtutes necessaria esse ad salutem, non credis in
Deum. Imo si credes opera & uirtutes ad salutem necessaria,
& non solam fidem, non credes in Deum sed in opera. Re-
quirimus & nos necessario, utramque iusticiam, & obedi-
entiam in Deum & legem, sed diuersos fines eis constituimus,
alius finis fidei, alius caeterarum uirtutum. Sed eum fides

opa no iustificat
Ioan. 6.
1. Thes. 2.

m mater

mater uirtutum sit, mater non potest carere sua prole, sic fides suis operibus, quæ ad fidei sequelam necessario requiruntur, sed non ad iustificationem spiritus. Si Fratri creditur, nec latro est saluatus, nec tot puerorum myriades, qui nihil operum fecerunt. Per salæ nugæ sunt Fratris somnia.

PROPOSITIO XVIII.

Nam si in te haberes quo saluari posses, quid crederes?

CENSURA.

En quod scripturis probare non potest, quàm subtili ratione munire conatur.

CONDEM. CENSURAE.

Non est certus ordo propositionum, sed miscellaneus. Nam quicquid potuit inuenire a me uel dictum uel scriptum, ille uit in chartam. Caterum cum fides sit donum Dei, Chrysof. Hebræ. 11. Quia Deus nobis fidem infundit, Et Ephe. 2. & sit in nobis, cauillatur Frater me mihi ipsi esse contrarium, prædicat, inquit credendum esse, cuilibet saluari per fidem, quæ est in nobis, & idem abnegat, non esse credendum eo saluari posse, quod est in homine. Hæc est argueria Monachorum, & profecto recte ille dixerat, Sophista omnis odibilis est, multiplicat uerba non necessaria. Toties de natura fidei dixi, quæ in nobis est non natura sed gratia, Precium uero salutis nostræ Christus est, quem fide apprehendimus. Saluamur ergo beneficio fidei existentis in nobis per Dei gratiã & innitentis in Christi satisfactionem. Nam fidei nostræ finis non est conditio dignitatis nostræ, sed misericordia

*Chrysofostomus
ephe. 2.*

Sophista odibilis est